





9  
SPECIMEN

1769, 18.

CONTINENS

CAPVT IVRIS CONTROVERSI

AN

ADVOCATO LICEAT  
LITEM NEGATIVE CONTESTARI  
CONTRA CONSCIENTIAM

QVOD

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITER. DVISEVRG.

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE XXIX. IVLII ANNO CIOIOCCCLXVIII.

DEFENDET

CHRISTIANVS FRIDERICVS  
WOLLMANNVS

MARKERSDORF. LVSAT.

---

LIPSIAE

LITERIS RVMPFIIIS.



ADAM SMITH

THE THEORY OF MORALS AND POLITICS

IN TWO VOLUMES

VOL. I

OF THE PRINCIPLES OF MORALS AND POLITICS

IN TWO VOLUMES

VOL. I

OF THE PRINCIPLES OF MORALS AND POLITICS

IN TWO VOLUMES

VOL. I

OF THE PRINCIPLES OF MORALS AND POLITICS

IN TWO VOLUMES

VOL. I

OF THE PRINCIPLES OF MORALS AND POLITICS

IN TWO VOLUMES





AN,  
ADVOCATO LICEAT  
LITEM NEGATIVE CONTESTARI  
CONTRA CONSCIENTIAM.

---

---



*item contestamur*, quoties citati a iudice respondemus ad libellum contra nos ab aduersario exhibitum atque ad nos cum citatione transmissum. Est ergo *litis contestatio* legitima responsio intentioni actoris in libello comprehensae. Quanta haec differentia a *litis contestatione romana*, quam *Illustr. WINCKLERVS* eleganti libello Academico exposuit, ut hodie vocabulum *litis contestationis* alium et plane nouum recipiat significatum, quam in romana habuit lingua. Sed iam



haec nota. Respondemus ergo ad singula capita libelli seu propositiones illius, et *solemniter* litem contestamur, aut contradicimus actoris intentioni tantum haud responsionibus directis ad singulas libelli propositiones *minus sollemnis* litis Contestatio audit. Et sapienter a Legislatore Saxone videtur esse dispositum, vt in Ordinario Processu sollemnis praestetur litis Contestatio, cum facilius et accurate ex ea appareat, quae confiteatur reus quaeque neget, ne superfluum suscipiat assertorum suorum probationem.

§. II.

Respondemus vero vel *adfirmando* vel *negando* in de aliam Litis Contestationis diuisionem alit forum, scilicet vel *adfirmatiuam* constituit, vel *negatiuam*, vel *mixtam*. Frustra vero videntur disputare, qui negant adfirmatiuam illam Litis contestationem. Cedo, si ab effectu solo iudices, vt scilicet contineat in se fundamentum futuri Processus, hac ratione *confessio* magis dicenda, quam litis contestatio adfirmatiua, quippe, nisi adiiciantur Exceptiones peremptoriae, lis esse nequit, sed reus ille actoris postulata adfirmans statim ex propria confessione condemnandus. At si verbis definitionis supra adscriptae inhaeremus, cum et is, qui adfirmat, respondeat, putem omnino hanc diuisionem vindicari posse.

§. III.

Sed rectius negatiue respondendo litem contestamur, cum eo ipso et suscipienda probatione et reprobatione Processus et lis continuatur, cuius fundamentum quaerendum

dum in negatiua responsione. Sed huius responsionis aut negatiuae aut adfirmatiuae, vt mihi quidem videtur, haud pendet ab arbitrio Aduocati, sed a causae qualitate et praeterea a conscientia rei, cuius nomine Aduocatus respondet. Cum enim Aduocati munus in *postulando* consistat, *postulare* vero dicatur, *si amici apud eum, qui iurisdictioni praeesit, desiderium exponat, vel contradicat alterius desiderio* L. 1. §. 2. *π. de postulando*, haud potest ex sua animi intentione respondere, sed ex intentione eius, cuius nomine postulat, i. e. cuius nomine alterius scil. actoris desiderio contradicit.

§. IV.

Facillime vel ex hoc proposita thesis decidi poterit. Dubitatur enim: *An aduocatus negatiue litem contestari possit, si scit, rem ita se habere, pro vt actor eam se habere adserit.* Negauerat ZIEGLERVS ad Tit. Ord. Proc. XVI p. 104. cui postea expresse contradixit GRIEBNERVS in Princip. Process. Judiciar. L. 1. c. II. Sect. VI. §. VI. hac ratione motus, *cum qui adfirmatiue litem contestatur, partes rei deteriores, actoris meliores faciat, non putarim, quenquam ad Litis Contestationem adfirmatiuam, nisi lex eam imperet, obstringi.*

§. V.

Neque tamen haec ratio me commoueret, vt GRIEBNERI opinioni adstipuler, cum argumenta adsint ex quibus contrarium euinci possit. Vnde enim ea erit Aduocati obligatio, vt aduersarii partes contra veritatem et propriam suam conscientiam deteriores faciat, suae partis ve-





ro seu rei, meliores? Sane nulla lex adesse potest, quae conscientiae fraudem fieri patitur. Dein vix in aliquo rei conditio deterior fiat, quam quod, si adfirmet respondendo, liberet actorem a probatione et excipiendo sibi onus probandi contrahat deuoluta in actorem reprobatione atque eo data facultate deferendi iuramenti, quo efficeretur, si postea in probatione deficeret exceptionum, ipse reus condemnaretur, qui contra, si lis negatiue contestata, actore non probante, absolutus fuisset. Sed praeterquam, quod honesto atque bono viro semper magis amica debeat esse veritas, parum intererit, an reus probet, an reprobet. Nam in hoc, quod absoluatur, si actor nihil probet, later conditio, quippe forsitan et actor probare poterit, sicque haec cautio nihil prodesset reo, nisi suas exceptiones recte probet. Praeterea, si haec legitimae sententiae vim obtineat opinio, omnem inter contrahentes bonam fidem tolleret. Quoties enim contingit, vt duo soli inuicem negotium aliquod contrahant, neque, cum inuicem honestos et bonos se habeant, testes aduocent, post cum alter promissis postea stare nolit, alter in ius vocat oblato iudici libello, suae confidens causae et aduersarii integritati haud desert] iuramentum credens alterum veritatem rei haud negaturum. Efficeret ergo Aduocatus litem negatiue contestans, vt innocentis pereat causa, qui in eo peccauerat tantum, quod veritati nimium tribuisset, aduersariumque honestum et veritatis amantem habuisset, quem improbum hominem effecit Causae Patronus negatiue respondendo, cum vix ipse negasset reus, si ipse reus  
 prae-



praefens in iure interrogatus respondisset. Et tandem, Quid? si negativè litem contestatus sit rei nomine Aduocatus, et contingat postea, vt praeter spem atque opinionem actor probet, neque exceptiones reprobet reus: ita ne et rei partes meliores negando effecerit? Vix adfirmem, quippe incidet in poenam temere litigantium, vel si causa sit, quae inficiando crescat, dupli condemnationem expectabit, quod et ipse GRIEBNERVS obseruauit c. l. maxime cum nostro Jure Electorali O. P. R. S. Tit. XVI. §. 3. suo modo haec inficiationis poena comprobata sit.

§. VI.

Sed sunt praeterea, quae ad dissentiendum me impellunt. Vel enim Aduocatus ex clientis sui confessione expertus est, rem ita esse, pro vt actor adseruit, vel ex aliorum attestacionibus rei veritatem comperuit. Priori specie omnino negando litem iniuste aget commisso periurio, cum eundem iusiurandum obliget ad contrarium, quod vt Aduocatus praestat, ob verba maxime: Insonderheit sollet ihr euch alles dessen, so zu einiger bößlichen Verzögerung derer Sachen gerichtet, gänzlich enthalten, vielmehr alle Prozesse und Sachen, in welchen ihr Klägern oder Beklagten dienen werdet, ohne einige Tergiuersation, so viel nur möglich und mit Beyseitsetzung aller zum Verschleif gereichenden Ausflüchte, zum Ende befördern. Posteriori specie contra, si de causae veritate conuictum se putet Aduocatus ex aliorum attestacionibus, contra propriam negando aget conscientiam, qui iurauerat, er solle sich derselben Sachen nicht anders unterwinden,

den,

den, es sey denn, daß er scheinlichen befundet, daß die Leute gut Fug und Recht haben, außer dem aber sich solcher Sachen gänzlich entschlagen. V. MANDAT. *de Aduocatis* d. A. 1723. in *Beyslagen* ad O. R. P. S. pag. 80. Si vero dubius haereat Aduocatus aliorum attestationibus non omnino confidens, et ipse Cliens neget, rem pro vt actor adseruerat, ita esse, tunc si negatiue contestetur Aduocatus litem, id indulgendum eidem fore censeo, tunc cum dubitet neque eidem ius sit iudicandi de veritate ipsa, sed clientis etiam adsertis credendum, quippe probabile, eundem Aduocato omnem causam sub sigillo reticentiae, quae et Aduocati non minus conuenit, quam Confessionario, recte reuellaturum, impune negatiue respondebit, quippe reus sibi imputare debet, si postea incommoda sentiat ex negatione, qui negando voluerat, vt et negatiue responderet Aduocatus.

T A N T V M.



ULB Halle

3

003 594 440



*SB*





1769, 18.

SPECIMEN

CONTINENS

CAPVT IVRIS CONTROVERSI

AN

ADVOCATO LICEAT  
LITEM NEGATIVE CONTESTARI  
CONTRA CONSCIENTIAM

QVOD

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITER. DVISEVVRG.

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE XXIX. IVLII ANNO CIOIDCCCLXVIII.

DEFENDET

CHRISTIANVS FRIDERICVS  
WOLLMANNVS

MARKERSDORF. LVSAT.

LIPSIAE

LITERIS RVMPFIIIS.

